


752853

752853

Stake, kill.

Man. Poiray.



QVERELA

PACIS VNDIQVE

GENTIVMEIECTAE

profligataꝫqꝫ, ac iam
ferè sepulta.

*Authore Erasmo Rotera
damo.*

Szilfny Josef



Coloniae excudebat Ioan. Gymnicus
Anno M. D. XLIII.

Joannes Theodorus Fsing
Gummersbace hensis me iure tenet
Anno 1659. 20 Decembris.

Qui rapit hunc librum rapiet sua viscera vivi
Nam videt omni potens omnia facta Deus.



CLARISSIMO PRAE-
SVLI TRAIECTENSI PHI-

lippo, Erasmus Roterodamus

S. D.



RATVLARER tibi Philip-
pe praesul, non minus uitae or-
namentis, quam summorum
ducum imaginibus clarissime,
quod tanti muneris honore
sis auctus, ni compertum ha-
berem, quam inuitus susceperis, quamq; grauate
optimi maximiq; principis CAROLI autoritate
fueris adactus, cuius alioqui charitati nihil non
eras daturus. Atq; haec ipsa res spem nobis certissi-
mam facit fore, ut cum laude persungaris susce-
pto: quandoquidem Plato uir exquisitissimi, pla-
neq; diuini iudicij, non alios existimat ad repub-
licam gerendam idoneos, quam eos, qui huc nolen-
tes pertrahuntur. Auget autem nostram de te fidu-
ciam, quoties in mentem uenit, & cui tu succedas
fratri, & quo patre sitis ambo profecti. Nam Da-
uid uir eruditus iuxta ac prudens, permultis annis
sic locum istum tenuit, ut suis ornamentis, pluri-
mum splendoris ac dignitatis addiderit ipse si mune-
ri, per se licet amplissimo. Multis modis magnus ac

E P I S T O L A.

*suspiciendus, sed in hoc præcipuè salutaris reipub-
lice, quòd nihil ducebat antiquius sibi, pace publi-
ca, hac quoque in parte patrem PHILIPPVM
Burgundiæ ducem referens, uirum nulla non re ma-
ximum, sed tamen pacis artibus, cum primis insig-
nem, & æternæ hominum memoriæ commēdatum.
Qui tibi hoc etiam impensius erit exprimendus,
non tantum ut filius patri, sed ut PHILIPPVS
Philippo respondeas. Intelligit iam dudum tua pru-
dentia, quid abs te populus uniuersus expectet.
Triplex onus humeris sustines: patris exemplum
ac fratris, tum horum temporum fata, (quid
enim aliud dicam?) nescio quomodo ad bel-
lum pertrahentia. Vidimus ipsi nuper, ut quidam
amicis quàm hostibus grauiores, nihil intentatū re-
liquerint, ne bellorum aliquando finis esset, rursus
ut uix expresserint, alij qui Reipub. principi q; ex
animo bene uolunt, ut pacem cum Francis semper
optandam, hisce uerè temporibus etiã necessariam
amplecteremur. Cuius sanè rei indignitas, mouit
animum meum, ut tum pacis undique profligatæ
querimoniam scriberem, quo nimirum hac ratione
iustissimum animi mei dolorem, uel ulciscerer, uel
lenirẽ. Libellum ad te ceu primitiolas nouo Episco-
po debitas, mitto, quò diligentius tueatur tua celsi-
tudo pacem, ut cunq; partã, si non patiar eam obli-
uisci, quanto negotio nobis constiterit. Bene uale.*

Q V E R E L A P A C I S
V N D I Q V E G E N T I V M E I E -
c̄æ profligatæ q̄.



S I ME, LICET immerentem,
suo tamen commodo sic auer-
sarentur, eijcerent, profliga-
rem q̄; mortales, meam modò
iniuriam, & illorum iniquita-
tem deplorarem: nunc cùm me profligatam, proti-
nus fontem omnis humane felicitatis ipsi à semet
arceant, omniumq̄; calamitatum pelagus sibi accer-
sant, magis illorum mihi deslenda est infelicitas,
quàm mea iniuria, & quibus irasci tantùm maluis-
sem, horum dolere uicem, hos commiserari compel-
lor. Nam utcunq; amantem ab se propellere, inhu-
manum est. bene merentem auersari, ingratum: pa-
rentem ac seruatricem omnium adfligere, impium.
Cæterum tot egregias commoditates, quas mecum
adfero, sibimetipsis inuidere, proq̄; his ultro tam te-
tram malorum omnium lernam accersere. An non
hoc extremæ cuiusdam dementiæ uidetur? Scelera-
tis irasci par est, at sic furijs actos, quid aliud quàm
deslere possumus? Qui non alio sanè nomine magis
deslendi sunt, quã quòd ipsi sese non deslent, nec alio

Q U E R I M O N I A

*magis infelices, quàm quòd infelicitatem suam non
 sentium. Quando nonnullus gradus est ad sanita-
 tem, morbi sui magnitudinem agnoscere. Etenim si
 ego Pax illa diuorum simul & hominum uoce lau-
 data, fons, parens, altrix, ampliatrix, tutatrix re-
 rum bonarum omnium, quas uel cœlum habet, uel
 terra: si sine me nihil usquam florens, nihil tutum,
 nihil purum aut sanctum, nihil aut iucundum homi-
 nibus aut gratum superis: si contra hæc omnia, bel-
 lum si mel omnium malorum, quidquid usquam est
 in rerum natura oceanus quidam, si huius uicio su-
 bito marcescunt florentia, dilabuntur aucta, laba-
 scunt fulta, pereunt bene condita, amarescunt dul-
 cia: deniq; si res est adeò non sancta, ut omnis pieta-
 tis ac religionis sit maximè præsentanea pestis: si
 nihil hoc uno infelicius hominibus, nihil inuisius su-
 peris: quæso per Deum immortalem, quis credat
 istos homines esse, quis credat ullam sanæ mentis mi-
 cam inesse? qui me talem, tantis impendijs, tantis
 studijs, tanto molimine, tot technis, tot curis, tot
 periculis student eijcere, tantumq; malorum ue-
 lint tam carè emere? Si me ad istum modum sperne-
 rent feræ, leuius ferrem, & in me admissam contu-
 meliam, naturæ imputarem, quæ ingenium immitte
 in se uisset, si mutis pecudibus essem inuisa, condona-
 rem inscitæ, propterea quòd his ea uis animi nega-
 ta sit,*

P A C I S.

ta sit, quæ sola dotes meas queat perspicere. At ò
rem indignam, ac plus quàm prodigiosam, unum
animal edidit natura, ratione præditum, ac diuinæ
mentis capax, unum beneuolentiæ, concordiaq;
genuit, & tamen apud quantumlibet efferas feras,
apud quantumuis brutas pecudes mihi citius locus
sit, quàm apud homines. Jam tot orbium cœlestium,
licet nec motus sit idem, nec uis eadem, tamen ijs tot
iam seculis constant uigemq; fœdera. Elemētorum
pugnantes inter se uires, æquabili libramine pacem
æternam tuemur, & in tanta discordia, consensu,
commertioq; mutuo concordiam alunt. In animan
tium corporibus quàm fidus membrorū inter ipsa
consensus, quàm parata defensio mutua? Quid tam
dissimile quàm corpus & anima? Et tamen quàm
arcta necessitudine connexuerit hæc duo natura,
nimirum declarat ipsa diuulsio. Proinde ut uita ni
hil aliud est, quàm corporis & animæ societas, ita
sanitas omnium corporis qualitatum concentus est.
Animantia rationis expertia in suo quæq; genere
ciuilitè concorditerq; degunt. Armentatim uiuunt
elephanti, gregatim pascuntur sues & oues, turma
tim uolant grues & graculi, habent sua comitia Ci
conia, pictatis etiam magistræ, mutuis officijs sese
tuentur Delphini. Nota est formicarum & apum in
ter ipsas concors politia. Sed quid de his loqui per

Q U E R I M O N I A

go, quæ tametsi ratione uacant, sensu non uacant?
 In arboribus, in herbis amicitia possis agnoscere.
 Steriles sunt quædam, nisi marem adiungas. uitis ul-
 mum amplectitur. uitem amat persica. Usque adeo
 quæ nihil sentiunt, tamen pacis beneficium sentire
 uidentur. Sed hæc rursus ut sentiendi uim non ha-
 bent, ita quod uitam habeant, his quæ sentiunt, fini-
 tima sunt. Quid æquè brutum atque saxorum
 genus? Dicās tamen his quoque pacis & concor-
 dia sensum esse. Ita magnes ferrum ad sese tra-
 hit, attractū tenet. Quid, quod inter immanissimas
 etiam feras conuenit? Leonum inter ipsos feritas
 non dimicat. Aper in aprum non uibrat dentem
 fulmineum. Lyncei cum lynce pax est. Draco non
 seuit in draconem. luporum concordiam etiam
 prouerbia nobilitarunt. Addam, quod magis
 etiam mirum uideatur: Impij spiritus, per quos cœ-
 litum atq; hominum concordia primū dirupta
 est, & hodie rumpitur, tamen inter se foedus ha-
 bent, suamq; illā qualemcunq; tyrannidē consensu
 tuentur, solos homines, quos omnium maximē dece-
 bat unanimitas, quibusq; cū primis opus est ea, neq;
 natura tam alijs in rebus potens & efficax concili-
 at, nec institutio coniungit, nec tot ex consensu pro-
 secturæ commoditates conglutinant, nec tantorum
 deniq; malorum sensus & experientia in mutuum

amorem redigit. Figura communis omnium, uox
 eadem, & cum cætera animantium genera, corpo-
 rum formis potissimum inter se differant, uni ho-
 mini indita uis rationis, quæ ita sit illis inter ipsos
 communis, ut cum nullo sit reliquorum animantium
 communis, uni huic animanti sermo datus, præcipue
 us necessitudinum conciliator. Inrita sunt communi-
 ter disciplinarum ac uirtutum semina, ingenium mi-
 te, placidumq; & ad mutuam beneuolentiam pro-
 pensum, ut per se iuuet amari, & iucundum sit de
 alijs bene mereri, nisi quis prauis cupiditatibus, ceu
 Circes pharmacis corruptus, ex homine degene-
 rarit in beluã. Hinc est uidelicet, quòd uulgus quid
 quid ad mutuam beneuolentiam pertinet, huma-
 num appellat. Addidit lachrymas, exorabilis inge-
 nij documentum: quo si quid fortè inciderit offen-
 se, & amicitie serenitatem nubecula aliqua offu-
 scarit, facillè redeant in gratiam. En quot rationi-
 bus natura concordiam docuit? Nec his tamen con-
 tenta pacis lenocinijs, amicitiam homini non solam
 iucundam esse uoluit: uerumetiam necessariam.
 Eoq; tum corporum, tum animorum dotes ita par-
 tita est, ut nemo sit omnium tam instructus, quin in-
 firmorum etiam officio nonnunquam adiuuetur,
 nec eadem attribuit omnibus, nec paria, ut hæc in-
 æqualitas mutuis amicitijs æquaretur. Alijs in re-

Q U E R I M O N I A

gionibus alia proueniunt, quo uel usus ipse mutua doceret commertia. Cæteris animãtibus sua tribuit arma præsidia que, quibus sese tuerentur, unum hominẽ produxit inermem, atq; imbecillẽ, nec prorsus aliter tutũ, quã scedere, mutuaq; necessitudine. Ciuitates repperit necessitas, & ipsarũ inter se societate docuit necessitas, quõ ferarũ ac prædonũ uim iunctis uiribus propelleret. Adeò nihil est in rebus humanis, quod ipsum sibi sufficiat. in ipsis statim uita primordijs perisset hominũ genus, nisi conditum propagasset cõiugalibus cõcordia. nec enim nasceretur homo, & mox natus interiret, atq; in ipso uita limine uitã amitteret, nisi obstetricũ amica manus, nisi nutricum amica pietas succurreret infantiulo. Atq; in hũc usum uehemētissimos illos pietatis igniculos inseuit, ut parētes etiã illud ament, quod nondũ uiderunt. Adiecit mutuã liberorũ erga parentes pietatã, ut illorũ imbecillitas, horũ præsidijs uicissim subleuaretur, fieretq; illa cunctis quidẽ ex æquo plausibilis. sed Græcis aptissimẽ dicta ἀντιπρὸς ἀλλήλων. Accedũt huc cognationum & adfinitatũ uincula. Accedit in nonnullis ingeniorum, studio rũ, formæq; similitudo, certissima beneuolentiæ conciliatrix, in multis arcanus qdã animorũ sensus, ac mirus ad mutuũ amorẽ stimulus, quem ueteres admirati, numini adscribebant. Tot argumentis natura

docu

P A C I S.

docuit pacē concordiamq; . tot illecebris ad eā inuē-
 tat. tot laqueis trahit. tot rebus compellit . Et post
 hæc quæ nā ista tā ad nocendū efficax Erynnis, his
 omnibus disruptis, disiectis, discussis, insatiabilem
 pugnādi furiam insecuit humanis pectoribus? Nisi
 primū admirationē, deinde sensum etiā mali adime-
 ret assuetudo. quis crederet humana mente prædi-
 tos istos, qui sic iugibus disidijs, litibus, bellis inter
 sese certant, rixantur, tumultuātur? Postremò rapē-
 nis, sanguine, cladibus, ruinis sacra prophanāq; mi-
 scent omnia, nec ulla tā sancta fœdera, quæ illos in-
 mutuā perniciē debacchantes, queant dirimere. Vt
 nihil etiā accesserit, satis erat cōmune, hominis uo-
 cabulū, ut inter homines conueniret . Sed esto nihil
 apud homines profecerit natura, quæ plurimū ua-
 let ut in beluis: ita nec nihil apud Christianos ua-
 luit Christus? parū efficax sit doctrina nature, quæ
 maximā uim habet in his quoq; , quæ sensu uacant.
 Ceterū cūm hæc multò præstātor sit doctrina Chri-
 sti, cur ea se profitentibus non persuadet id, quod
 unū omniū maximè suadet, nempè pacē mutuamq;
 beneuolentiā? Aut saltem hanc tam impiā, efferam
 que belligerandi insaniam dedocet? Quum hominis
 uocabulum audio, mox accurro, ueluti ad animal
 mihi propriè natum, confidens fore, ut illic liceat
 adquiescere: quum Christianorum audio titulum,
 magis

Q U E R I M O N I A

magis etiã aduolo, apud hos certè regnaturã etiam me sperans. Sed hïc quoq; pudet ac piget dicere, Fora, Basilicæ, curiæ, tēpla sic undique litibus persire punt, ut nusquam apud Ethnicos æquẽ. Adeò ut quum bona pars humane calamitatis sit aduocatorum turba: tamen hæc etiam ad litigantium undas, paucitas sit ac solitudo. Ciuitatem adspicio, spes ilico oboritur, inter hos saltem conuenire, quos eadem cingunt mœnia, eadem moderantur leges, & uelut una uectos nauis, commune continet periculum. Sed ô me miseram, quæ hïc quoque dissidijs omnia uiciata cõperio. Adeò ut uix domũ ullã reperire liceat, in qua mihi sit uel dies aliquot locus. Sed plebem omitto, quæ maris ritu, suis æstibus rapitur in principum aulas, uelut in portum quendam me recipio. Erit, inquam, certè apud hos locus paci, plus hi sapiunt quàm uulgus, ut qui sint plebis animus, atque oculus populi. Tum eius uices gerunt, qui doctor est, & princeps concordiæ, à quo quidem cum omnibus, tum his præcipuè sum commenda. Et omnia bene pollicentur. Video blandas con salutationes, amicos complexus, hilares compotationes, cætera que officia humanitatis. At ô rem indignã, apud hos nec umbrã ueræ cõcordiæ licuit cernere. Fucata fictaq; omnia factionibus apertis, clancularijs dissidijs, ac simulatibus corrupta uniuersa.

Deniq;

P A C I S.

Deniq; adeo apud hos non esse sedem paci cōperio,
 ut hinc potiùs omnium bellorū fontes ac seminaria.
 Quò me posthac conferam infelix, posteaquam to-
 ties fefellit spes? At principes magni sunt potiùs
 quàm eruditi, magisq; ducuntur cupiditatibus,
 quàm recto animi iudicio. Ad eruditorum greges
 confugiam. Bonæ literæ reddunt homines. Philoso-
 phia plus quàm homines. Theologia reddit diuos.
 Apud hos certè dabitur conuiescere tot actæ am-
 bagibus. Verùm, proh dolor, en hîc quoque bello-
 rum aliud genus, minùs quidem cruentum, sed ta-
 men non minùs insanum. Schola cum schola dissidet,
 & ceu rerum ueritas loco commutetur, ita quæ-
 dam scita nō traiciunt mare, quædã non superant
 alpes, quædam non tranant Rhenum, imò in eadem
 academia, cum Rhetore bellum est Dialectico, cum
 Iureconsulto dissidet Theologus. Atq; adeo in eo-
 dem professionis genere, cum Thomista pugnat
 Schotista, cum Reali Nominalis, cum Peripatetico
 Platonius, adeò ut ne in minutissimis quidem re-
 bus inter hos conueniat, ac sæpenumero de lana ca-
 prina atrocissimè digladiantur, donec disputatio-
 nis calor, ab argumentis ad conuicia, à conuicijs
 ad pugnos incrudescat, & si res pugionibus aut
 lanceis non agitur, stilis ueneno tinctis, sese conso-
 diunt: dentata charta dilacerant inuicem, alter in
 alterius

Q U E R I M O N I A

alterius famam letalia linguarum uibrant spicula.
 Quò me uertam, toties experta mihi data uerba?
 Quid superest, nisi una, ueluti sacra ancora, Reli-
 gio? Huius professio licèt sit Christianorum omni-
 um communis: tamen eam isti peculiariter profi-
 tentur titulo, cultu, ceremonijs, qui uulgò sacerdo-
 tum cognomento commendantur. Hos itaq; pro-
 cul intueni, cuncta spem faciunt, portum mihi pa-
 ratum esse. Arrident uestes candidæ, meoq; colore
 insignes: uideo cruces, pacis symbola: audio dulcissi-
 mum illud fratris cognomen, eximie charitatis ar-
 gumentum: audio salutationes pacis, lato omine foe-
 lices: cerno rerum omnium communionem: conium-
 etum collegium, templum idem, lèges eadem, con-
 uentus quotidianus. Quis hîc non confidat paci lo-
 cum fore? Sed rem indignam, nusquam ferè colle-
 gio cõuenit cum Episcopo: parum hoc, nisi & ipsi
 inter sese factionibus scinderentur. Quotusquisq;
 sacerdos est, cui non sit cum aliquo sacerdote lis?
 Paulus rem non ferendam censet, quòd Christianus
 litiget aduersus Christianum, & sacerdos cum sa-
 cerdote, Episcopus cum Episcopo certat. Verùm,
 his quoq; forsitan ignoscat aliquis, quòd longo iam
 usu propemodum in prophanorum cõsortium abie-
 rit, posteaquam eadem cum illis cõperunt possi-
 dere. Age, fruamur hij sanè suo iure, quod ceu præ-
scrip-

scriptione sibi uindicant. Vnum hominum genus
 superest, qui sic adstricti sunt religioni, ut etiam si
 cupiant, nullo pacto queant excutere, non magis
 profecto, quàm testudo domum. Sperarem apud
 hos mihi fore locum, nisi toties frustrata spes, me
 prorsus desperare docuisset. Et tamen ne quid in-
 tentatum relinquam, experiar. Quæris exitum?
 A nullis resiliij magis. Nam quid sperem, ubi religio
 cum religione dissidet? Tot factiones sunt, quot
 sunt sodalitia. Dominicales dissident cū Minoritis,
 Benedictini cum Bernardinis. Tot nomina, tot cul-
 tus, tot ceremonie studio diuersæ, ne quid omnino
 conueniret, sua cuiq; placent, & aliena damnant,
 oditq; quisq;. Quin idem sodalitium factionibus
 scinditur. Obseruantes insectantur Coletas, utriq;
 tertium genus, quod à conuentu cognomen habet,
 cū nihil inter istos conueniat. Iam, ut par est,
 omnibus rebus diffusa, optabam uel uno quopiam
 monasteriolo latitare, quod uerè tranquillum esset.
 Inuita dicam, quod utinam non esset uerissimum,
 nullū adhuc reperi, quod non intestinis odijs ac iur-
 gijs esset infectū. Pudor sit recensere, quā nihili de
 nugis tricisq; quātas cieāt pugnas uiri senes, barba
 pallioq; uerendi: postremo, ut sibi uidentur, impense
 tū eruditi, tū sancti. Arridebat spes nōnulla fore, ut
 alicubi inter tot cōiugia qualiscunq; deretur locus.

Quid

Q U E R I M O N I A

Quid enim non pollicetur, domus communis, fortuna
 communis, lectus communis, liberi communes?
 Deniq; corporū ipsorū ius mutuum? ut unū potius
 hominem credas, e duobus conflatum, quàm duos.
 Huc quoq; sceleratissima illa Eris irrepsit, tot que
 uinculis copulatos dirimit dissidijs animorum. Et
 tamen inter hos citius comingat locus, quàm inter
 eos, qui tot titulis, tot insignibus, tot ceremonijs,
 absolutam charitatem profitemur. Tandem illud in
 uotis esse cepit, ut saltem in unius hominis pectore
 daretur locus. Ne id quidem contigit, idem homo se
 cum pugnat, ratio belligeratur cum adfectibus, &
 insuper adfectus cum adfectu conflictatur, dum aliò
 uocat pietas, aliò trahit cupiditas. Rursum aliud
 suadet libido, aliud ira, aliud ambitio, aliud auari-
 tia. Et huiusmodi quum sint, non pudet tamen illos
 appellari Christianos, cum modis omnibus disside-
 ant ab eo, quod Christo precipuum est ac peculia-
 re. Vniuersam eius uitam contemplare, quid aliud
 est, quàm concordie mutui que amoris doctrina?
 Quid aliud inculcant eius præcepta, quid parabo-
 la? nisi pacem, nisi charitatem mutuan? Egregius
 ille uates Esaias, cum cælesti adflatus spiritu, Chri-
 stum illum rerum omnium conciliatorem uentu-
 rum annunciaret, num satrapam pollicetur? num
 urbium euersorem? num bellatorem? num trium-
 pha

phatorem? Nequaquam. Quid igitur? Principem pacis, siquidem cum omnium optimum principem intelligi uellet, ab ea re denotauit, quam omnium optimam iudicasset. Neque mirum ita uisum Esaiæ, cum Silius Ethnicus poeta hunc in modum de me scripserit, Pax optima rerum, quas homini natura dedit. Concinit huic mysticus ille Cytharædus, Et factus est, inquit, in pace locus eius. In pace dixit, non in tentorijs, non in castris: princeps est pacis, pacem amat, offenditur dissidio. Rursum Esaias, Opus iusticiæ pacem appellat, idem sentiens, ni fallor, quod sensit Paulus ille, & ipse è Saulo turbulento redditus tranquillus, & pacis doctor. Cum charitatem cæteris omnibus arcani spiritus dotibus anteponebat, quo pectore, qua facundia meum encomium detonauit Corinthijs. Cur enim non gloriæ sic laudari à uiro tam laudato? Is aliàs Deum pacis appellat, aliàs pacem Dei uocat, palam indicans hæc duo sic inter sese coherere, ut ibi pax esse non possit, ubi Deus non adsit, nec illic esse Deus possit, ubi pax non adsit. Itidem & pacis Angelos in diuinis libris uocatos legimus, pios ac Dei ministros, ut per se liqueat, quos belli Angelos oporteat accipi. Audite strenui bellatores. Videte sub cuius signis militetis, nimirum illius, qui primus dissidi-

Q V E R I M O N I A

um scuit inter Deum & hominē. Quidqd calamita-
 tum sentit mortalitas, huic dissidio debet acceptum
 ferre. Friuolū est enim quod argutantur quidam in
 arcanis literis, Deum exercituū, & Deū ultionum
 dici. Permultū enim interest inter Iudæorū Deum
 & Christianorū Deum, etiamsi suapte natura unus
 & idē Deus est. Aut si nobis quoq; placent tituli ue-
 teres, age. sit exercituū Deus, modò acies intelligas
 uirtutum concentū, quarū presidio uicia demolium-
 tur homines pij. Sit ultionū Deus, modò uindictā ac-
 cipias, uiciorū correctionē, ut cruentas strages, qui-
 bus Hebræorū libri referti sunt, nō ad laniandos ho-
 mines, sed ad impios adfectus ē pectore profligan-
 dos referas. Sed ut quod institutum erat, persequa-
 mur, quoties absolutam felicitatem significant ar-
 canæ literæ, pacis nomine id faciunt. Velut Esaias,
 Sedebit, inquit, populus meus in pulchritudine pa-
 cis. Et alius, Pax, inquit, super Israēl. Rursum Esai-
 as admiratur pedes annunciantium pacem, annun-
 ciantium bona. Quisquis Christum annunciat, pa-
 cem annunciat. Quisquis bellum prædicat, illum
 prædicat, qui Christi dissimillimus est. Age iam,
 quæ res Dei filium pellexit in terras? nisi ut mun-
 dum patri reconciliaret, ut homines inter se mutua
 & indissolubili charitate conglutinaret; prostremò

P A C I S.

ut ipsum hominē sibi faceret amicū. Mea igitur gratia legatus erat, meū agebat negociū. Atq; ob id Solomonē sui typū ferre uoluit, qui nobis εἰρηνοποιός id est, pacificus dicitur. Quantūuis magnus erat Dauid, tamē quia bellator erat, q̄ sanguine fuerat impiatus, nō finitur extruere domū domini. Non meretur hac parte gerere typū Christi pacifici. Iam illud interim perpende bellator, si prophanāt bella, numinis iussu suscepta gestaq; qd̄ facient quæ suasit ambitio, quæ ira, quæ furor? Si piū regem polluit effusus sanguis Ethnicorum, quid faciet tam ingens effusio sanguinis Christiani? Obsecro te Christiane princeps, si modò uerè Christianus es, contemplare tuī principis imaginē; obserua quomodo regnū suum inierit, quomodo progressus sit, quomodo hinc decesserit, & mox intelliges, quomodo abs te geri uelit, nimirū ut summa curarū tuarum pax sit & concordia: nato iam Christo, nū bellicis tubis insonant Angeli? Clangorē tubarū audiēre Iudæi, quibus bellare pmissum est. Hæc cōgruebāt auspicia, qbus fas erat odisse inimicos. At genti pacificæ lōgē aliā cantionē canūt pacis Angeli. Num classicū canūt? Num uictorias, triūphos, trophæaq; pollicētur? Minimè. Quid tandē? Pacē annūciant, cōgruētes cū Prophetarum oraculis: & annūciant nō ijs, q̄ cædes spirāt ac bella,

Q U E R I M O N I A

*qui feroces ad arma gestiunt, sed qui bona uolunta-
 te propēsi sint ad concordia. Prætexant que uelint
 suo morbo mortales, ni bellum amarent, non sic iu-
 gibus bellis inter se conflictarentur. Age, Christus
 ipse iam adultus, quid aliud docuit, quid aliud ex-
 pressit, quàm pacem? Pacis omine suos subinde sa-
 lutat, P A X V O B I S, eamq; salutandi formam
 suis præscribit, unicè dignam Christianis. Atque
 huius præcepti non immemores Apostoli, pacem
 præfantur in suis epistolis, pacem optant ijs, quos
 unicè diligunt. Rem præclaram optat, qui salutem
 optat: sed felicitatis summã precatur, quisquis pa-
 cem precatur. Hanc ille toties in omni uita commen-
 datam, uide quanta sollicitudine commendat mori-
 turus. Diligatis, inquit, inuicem sicut dilexi uos.
 Ac rursum, Pacem meam do uobis, pacem relinquo
 uobis. Auditis quid relinquat suis? nũ equos? num
 satellitium? nũ imperium? num opes? Nihil horum.
 Quid igitur? pacem dat, pacem relinquit, pacem
 cum amicis, pacem cum inimicis. Iam illud mihi
 consideres uelim, quid à cœna mystica, iam immi-
 nente mortis tempore, supremis illis precibus fla-
 gitarit à patre. Rem opinor haud uulgarem popo-
 scit, qui se sciebat impetraturum quidquid peteret.
 Pater, inquit, sancte, serua eos in nomine tuo, ut sint*

unum sicut & nos. Vide quæso, quàm insignem concordiam exigat in suis Christus: non dixit, ut sint unanimes: sed ut sint unum, neque id quocunq; modo, sed sicuti nos, inquit, unum sumus, qui perfectissima & ineffabili ratione sumus idem. & illud obiter indicans, hæc una uia seruandos esse mortales, si mutuam inter sese pacem aluerint. Porro, quòd huius mundi principes, insigni quopiam suos notant, quo possint à cæteris dignosci, præsertim in bello, uide qua tandem nota Christus insignierit suos, non alia uidelicet, quàm mutua charitatis. Hoc, inquit, argumento cognoscent homines uos esse meos discipulos, non si sic, aut sic uestiamini, non si his aut his uescamini cibis, non si tantum ie iunetis, non si tantum psalmorum exhausseritis, sed si dilexeritis inuicem: neque id sanè uulgari modo, sed quemadmodum ego dilexi uos. Innumera sunt philosophorum præcepta, uaria sunt Mosi, plurima regum edicta: unicum est, inquit, præceptum meum, ut ametis inuicem. Idem orandi formam suis præscribens, non ne in ipso statim initio mirè admonet concordia Christianæ? Pater, inquit, noster, unius est precatio, una communis omnium est postulatio, una domus, eademq; familia sunt omnes, ab uno patre pendent omnes: & qui conue-

Q U E R I M O N I A.

nit eos iugibus bellis inter sese conflictari? Quo ore compellas communem patrem, si in fratris tui viscera ferrum stringis? Iam quoniam unum hoc uoluit altissimè insidere suorum animis, quot symbolis, quot parabolis, quot præceptis concordiae studium inculcauit? Se pastorem uocat, suos oues. Et obsecro, quis unquam uidit oues pugnantes cum ouibus? Aut quid faciunt lupi, si grex ipse semet in uicem lacerat? cum se uitis stirpem uocat, suos uerò palmites, quid aliud expressit quàm unanimitatem? Portentum uideatur, piaculis procurandum, si in eadē uite palmes cum palmite bellet: & ostentum non est, si Christianus pugnet cum Christiano? Postremò si quid omnino Christianis sacrosanctum est, certè sacrosanctum esse debet, ac penitus animis illorum insidere, quæ Christus extremis illis mandatis tradidit, ueluti testamentum condens, ac filijs ea commendans, quæ cuperet illis nunquam uenire in obliuionem. Aut quid aliud in his docet, mandat, præcipit, orat, nisi mutuum inter ipsos amorem? Quid illa sacrosancti panis, & calicis philotesij communio, nisi nouam quandam & indissolubilem concordiam sanxit? Caterùm, quando sciebat non posse constare pacem, ubi de magistratu, de gloria, de opibus, de uindicta certamen est, tum penitus adfectus

felus eiusmodi reuellit ex animis suorum, uetat in
 totum ne malo resistent, iubet ut & de malè mercen-
 tibus bene mereantur, si possint, bene precemur ma-
 lè precantibus. Et Christiani sibi uidentur, qui ob
 quantumuis leuam iniuriolam, magnam orbis par-
 tem in bellum pertrahunt? Præcipit, ut qui in suo
 populo sit princeps, is ministrum agat, nec alia re
 præcellat alijs, nisi quòd melior sit, & pluribus
 proficit. Et non pudet quosdam ob pusillam accessi-
 unculam regni pomœrijs addendam, tantos cière
 tumultus? Docet auium & liliorum ritu in diem ui-
 uere. Vetat sollicitudinem in posterum diem exten-
 dere, uult totos è cælo pendere: diuites omnes ex-
 cludit à regno cælorum: & non uerentur quidam
 ob pecuniolam, non exolutam, fortasse nec debi-
 tam, tantum humani sanguinis effundere? Atq; his
 temporibus hæ uel iustissimæ suscipiendi belli causæ
 uidentur. Profectò haud aliud agit Christus, iubens
 ut unum quiddam à se discant, miti esse animo, mi-
 nime que feroci, cum iubet relinquere donarium ad
 aram, nec priùs offerri, quàm cum fratre reditum
 sit in gratiam: non ne palàm docet rebus omnibus
 anteponendam esse concordiam, nec ullam uicti-
 mam esse Deo gratam, nisi commendante me? Re-
 spuebat Deus Iudaicum munus, fortassis hedum,

Q U E R I M O N I A

aut ouem, quòd à dissidentibus offerretur: & Chri-
 stiani sic inter sese belligerantes, sacrosanctam il-
 lam uictimam audent offerre? Iam, cum se gallinæ
 pullos sub alas adgreganti facit adsimilem, quàm
 apto symbolo depinxit concordiam? Ille congrega-
 tor est, & qui conuenit Christianos esse miluios?
 Eodè pertinet quòd lapis dictus est angularis,
 utruq; parietem committens & continens: & qui
 cónuenit ut huius uicarij totum orbem ad arma
 commoueant, regnaq; regnis committant? Sum-
 mum illum conciliatorem habent principem, ut ia-
 ctant, & nullis rationibus ipsi sibi possunt recon-
 ciliari. Conciliauit ille Pilatum & Herodem, &
 suos in concordiam redigere non potest? Petrum
 adhuc semijudeum, qui in præsentis capitis di-
 scrimine dominum ac præceptorem tueri parabat,
 obiurgat ipse, qui defendebatur, gladiumq; iubet
 recondere: & Christianis ob leuissimas causas nun-
 quam non expromptus distinctusq; est gladius, id
 que in Christianos? An ille se gladij præsidio defen-
 sum uelit, qui moriens deprecatur pro necis autho-
 ribus? Omnes Christianorum literæ, siue uetus legas
 testamentum, siue nouum, nihil aliud quàm pacem
 & unanimitatem crepant: & omnis Christiano-
 rum uita nihil aliud quàm bella tractat? Quæ nam
est

est hæc plus quàm ferina feritas, quæ tot rebus nec uinci potest, nec leniri? Quin potius aut Christianorum titulo gloriari desinant, aut Christi doctrinam exprimant concordia. Quousq; uita pugnet cum nomine? Insignite, quantum libet, ædes, uestesq; crucis imagine, non agnoscet Christus symbolum, nisi quod ipse præscripsit, uidelicet concordia. Congregati uident euntem in cælum, congregati iubentur operiri spiritum cælestem: & inter congregatos se semper uersaturum promiserat, ne quis speraret usquam in bellis adesse Christum. Iam igneus ille spiritus, quid aliud est quàm charitas? Nihil igne communius: citra dispendiũ ullum ignis igni accenditur. Vis autem cognoscere spiritum illum concordia parentem esse? Exitum uide. Erat, inquit, cunctis cor unum, & anima una. Tolle spiritum è corpore, continuo delabitur omnis illa membrorum compago. Tolle pacem, & perit omnis Christiana uita societas. Tot hodie sacramentis infundi cælestem spiritum adfirmant Theologi. Si uerum prædicant, ubi peculiaris spiritus illius effectus, cor unum & anima una? Sin fabulae sunt, cur tantum honoris hisce rebus defertur? Atq; hæc sane dixerim, quò magis Christianos suorum morum pudeat, non quò sacramentis aliquid detraham.

Q U E R I M O N I A

Nam quòd populum Christianum Ecclesiam uocari placuit, quid aliud quàm unanimitalis admonet? Qui conuenit castris & Ecclesie? Hæc aggregati onem sonat, illa dissidium: si pars Ecclesie gloriaris esse, quid tibi cum bellis? Si ab Ecclesia semotus es, quid tibi cum Christo? Si eadē omneis habet domus, si communem habetis principem, si eidem militatis omnes, si sacramentis ijsdem estis initiati, si ijsdem gaudetis donatiuis, si ijsdem alimini stipendijs, si commune petitur præmium: quid ita inter uos tumultuamini? Videmus inter impios istos commilitones, qui mercede ad cædis peragenda ministerium conducti ueniunt, tantam esse concordiam, non ob aliud, nisi quòd sub ijsdem militant signis: & pietatem profitentes, tot res non conglutinant? Ita ne nihil agitur tot sacramentis? Baptismus cõmunis omnium, per hunc Christo renascimur, & execti mundo, Christi membris inserimur. Quid autem tam idem esse potest, quàm eiusdem corporis membra? Ab hoc igitur, neq; seruus est quisquam, neq; liber, neq; Barbarus, neq; Græcus, neq; uir, neq; fœmina, sed omnes idem in Christo sunt, qui omnia redigit in concordiam. Scythas ita iungit, paululum sanguinis utrinq; gustati è calice, ut pro amico nihil cunctentur & mortem oppetere. Ethnicis etiam
sancta

P A C I S.

sancta est amicitia, quam mensa communis conciliauit: & Christianos cœlestis ille panis, ac mysticus ille calix non continet in amicitia, quam ipse sanxit Christus, quam illi quotidie renouant, ac representant sacrificijs? Si nihil illic egit Christus: quorsum opus hodie tot ceremonijs? si rem seriam egit, cur sic à uobis negligitur, quasi rem ludicram ac scenicam egerit? Audet quisquam ad sacram illam mensam amicitiae symbolum, audet ad pacis conuiuium accedere, qui bellum destinat in Christianos, & eos parat perdere, pro quibus seruandis mortuus est Christus? eorum haurire sanguinem, pro quibus suum sanguinẽ effudit Christus? O pectora plùs quàm adamantina, in rebus tam multis consortium est, & in uita tam inexplicabile dissidium. Eadem nascendi lex omnibus, eadem senescendi moriendiq; necessitas. Eundem generis principem habent omnes, eundem religionis authorem, eodem omnes redempti sanguine, iisdem omnes initiati sacris, iisdem aluntur sacramentis, quidquid ex his redit muneris, ab eodem proficiscitur fonte, & ex æquo commune est omnibus. Eadem omnium ecclesia: denique, præmium idem omnium. Quin cœlestis illa Hierusalem, ad quam suspirant uerè Christiani,

à pacis

Q U E R I M O N I A

à pacis uisione nomen habet , cuius interim ecclesia
 typum sustinet? Et quî fit, ut hæc tantopere discre-
 pet ab exemplari? Adeo nihil promouit tot uijs so-
 lers natura , nihil ipse Christus perfecit tot præce-
 ptis, tot mysterijs, tot symbolis? Vel ipsa mala con-
 ciliant & malos, iuxta prouerbium, Christianos in-
 ter se nec bona, nec mala ulla conciliant. Quid hu-
 mana uita fragilius, quid breuius? Quot ea mor-
 bis, quot casibus obnoxia? Et tamen cum plus habe-
 at ex sese malorum, quàm ut ferri possit: tamen ma-
 ximam malorum partem ipsi sibi accersunt demen-
 tes. Tanta cæcitas humanos animos occupat, ut ni-
 hil horum perspiciat: sic præcipientes aguntur, ut
 omnia naturæ Christi uncula, omnia fœdera rum-
 pant, dissecent, diffringant. Pugnant passim, atque
 assiduè, nec modus, nec finis. Colliditur gens cum
 gente, ciuitas cum ciuitate, factio cum factione,
 princeps cum principe: & ob duorum homuncio-
 num, qui mox uelut ephemera sint interituri, seu
 stulticiam, seu ambitionem, res humanæ sursum, ac
 deorsum miscentur. Missas faciã ueterum bellorum
 tragœdias. Repetamus decē ab hinc annis acta: ubi
 non gemium crudelissimè pugnatū est terra mariq;?
 Quæ regio non Christiano sanguine commaduit?
 Quod flumen, quod mare non humano cruore tin-
 ctum

P A C I S.

Etum est? Et o pudor, pugnant immaniùs, quàm Iu-
 dæi, quàm Ethnici, quàm feræ. Quidquid bellorum
 Iudæis gestum est aduersus Allophilos, id Christia-
 nis gerendum aduersus uicia, quibus nunc uicijs
 conuenit, cum hominibus bellum est. Et tamen Iu-
 dæos diuina iussio ducebat ad pugnam: Christianos,
 si prætextibus detractis, rem uerè æstimes, trans-
 uersos rapit ambitio, agit ira, pessimus consultor:
 pertrahit habendi nunquam satiata cupiditas. At-
 que his ferè cum exteris res erat, Christianis cum
 Turcis foedus est, inter ipsos bellum. Iam Ethnicos
 tyrannos ferè gloriæ sitis ad bellum extimulabat,
 atq; hi tamen sic Barbaras atq; efferas nationes su-
 bigebant, ut uinci expediret, & uictor de uictis be-
 ne mereri studeret. Dabant operam, ut quàm fieri
 posset, incruenta esset uictoria, quo semel & uicto-
 ri honesta fama præmium esset, & uictis solatium,
 uictoris benignitas. At pudet meminisse, quàm pu-
 dendis, quàm friuolis de causis, Christiani princi-
 pes orbè ad arma cõcitent. Hic obsoletũ ac putrem
 aliquem titulum, aut reperit, aut commentus est.
 Quasi uerò ita magni referat, quis regnum admini-
 stret, modò publicis commodis rectè consulatur.
 Ille causatur omissum nescio quid in fædere cen-
 tum capitum. Hic illi priuatim insensus est ob spon-
 sam

Q V E R I M O N I A

sam interceptam, aut scomma liberius dictum'. Et, quod est omnium sceleratissimum, sunt qui tyrannica arte, quòd populi concordia potestatem suam labefactari sentiant, dissidio stabiliri, subornent, qui data opera bellum excitent, quò simul & coniunctos dirimant, & infelicem populum licentius expilent, scelestissimi quidam, qui populi malis aluntur, & quibus pacis tempore, non multum est quod agant in republica. Quæ tartarea furia uenum hoc in pectus Christianum potuit immittere? Quis hanc tyrannidem docuit Christicolas, quam nec Dionysius ullus, nec Mezentius ullus nouit? Beluæ uerius quàm homines, & sola tyrannide nobiles, nec usquam cordati, nisi ad nocendū, nec unquā concordes, nisi ad opprimendam rempublicam. Et hæc qui gerunt, pro Christianis habentur, audent humano sanguine undiq; polluti, ad sacras ædes, ad sacras aras accedere? O pestes in extremas insulas deportādas. Si Christiani, corporis unius mēbra sunt: cur non gratulatur quisq; alienæ felicitati? Nunc propè iusta mouendi belli causa uidetur regnum finitimū, rebus omnibus paulò florentius. Etenim si uerum fateri uolumus, quid aliud commouit, & hodie commouet tam multos ad armis laceffendum Franciæ regum, nisi quòd est unum omnium florentissimum?

P A C I S.

mum? Nullum latius patet, nusquam senatus augustior,
 nusquam Academia celebrior, nusquam concordia
 maior, & ob hoc ipsum potestas summa. Nusquam
 æquè florent lèges, nusquam illibator religio nec
 Iudeorum commertio corrupta, uelut apud Italos,
 nec Turcarum, aut Maranorum uicinia infecta,
 quemadmodum apud Hispanos & Hungaros. Ger
 mania, ne quid dicam de Bohæmis, in tot regulos
 dissecta est, ac regni ne species quidem ulla. Sola
 Francia ceu flos illibatus Christianæ ditionis, & ue
 lut arx quadam tutissima, si qua fors tempestas in
 grauatur, tot modis impetitur, tot artibus incessitur,
 nec ob aliud, nisi cuius gratia conueniebat gratu
 lari, si qua uena Christianæ mētis esset in istis. Atque
 his tam impijs factis prætextitur titulus pius. sic
 sternunt uiam ad propagandum imperium Christi.
 O rem monstrosam. parum consultum putant rei
 publicæ Christianæ, nisi pulcherrimã, ac foelicissi
 mã ditionis Christianæ partem subuerterint. Quid,
 quòd in his tractandis feras etiã ipsas feritate præ
 cedunt? Non omnes pugnant beluæ, nec ferarũ, ni
 si in diuersum genus conflictatio est, quemadmodum
 & antè diximus, sæpius inculcandum, quò magis in
 hereat animis. Vipera nõ mordet uiperã, nec lynx
 lyncem discerpit. Ac rursus illæ cum pugnant,
 suis pugnant armis. Illas armauit natura, homi
 nes

Q V E R I M O N I A

*nes inermes natos. O Deum immortalem, qualibus armis armat ira? Tartareis machinis impetunt Christiani Christianos. Quis enim credat Bombardas hominis inuentum esse? Nec illæ tam densis agminibus in mutuum exitium ruunt. Quis unquam uidit decem leones cum decem tauris congregari? At quoties uiginti milia Christianorū, cum totidē Christianis ferro decertant? Tanti est lædere, tanti est haurire sanguinem fratrum. Nec illis ferè bellū est nisi cum fames, aut cura sobolis in rabiem agit. At Christianis quæ tam leuis iniuria est, ut nō uideatur idonea bellādi occasio? Si faceret ista plebes, ut cūq; prætexi poterat inscitia. Si iuuenes, excusari poterat ætatis imperitia. Si prophani, non nihil eleua-
 ret atrocitatem facti personæ qualitas. Nunc ab ijs potissimum uidemus oriri bellorum semina, quorū consilio moderationeq; populi motus cōponi conueniebat. Contemptū illud & ignobile uulgus, condit egregias urbes, conditas ciuilitate administrat, administrando locupletat. In has irrepunt satrapæ, & ceu fuci, quod aliena partum est industria, surripiunt, & quod à plurimis bene congestum est, à paucis male dissipatur, quod rectè conditum, crudelissimè diruitur. Quòd si prisca non meminerunt, reperat qui uolet, secum hisce duodecim an-
nis.*

nis gesta bella. *Causas expendat, comperiet omnia principum gratia suscepta, magno populi malogesta, cum ne tantillum quidem ad populum attinerent. Iam quod olim foedum habebatur apud Ethnicos, caniciem galea premere, ut inquit ille, id apud Christianos laudi ducitur. Turpe senex miles Nasoni, & istis magnifica res est bellator septuagenarius. Imò ne sacerdotes quidem ipsos pudet, quos olim Deus nec in sanguinaria illa & inclementi lege Mosi uoluit ullo sanguine pollui: nō pudet Theologos Christianæ uitæ magistros: nō pudet absolute religionis professores: non pudet Episcopos, non pudet Cardinales & Christi uicarios, eius rei authores, ac faces esse, quam Christus tant opere detestatus est. Quis conuenit mitræ & galææ? Quid pedo cum gladio? Quid euangelico codici cum clypeo? Quis cōuenit pacis omine salutare populū, & orbem ad turbulentissimas pugnas concitare? pacem dare lingua, re bellum immittere? Tun' eodem ore, quo Christum pacificū prædicas, bellū laudas, eademq; tuba Deum canis & satanam? Tun' apud concionem sacram, cuculla tectus, ad cædem incitas simplicem populum, qui ex ore tuo doctrinam expectabat Euangelicam? Tun' Apostolorum occupans locum, pugnantia doces cum Apostolorum*

Q U E R I M O N I A

præceptis? An non uereris, ne quod de Christi præ-
conibus dictum est, Quàm speciosi pedes nuncian-
tium pacem, nunciantium bona, nunciantium salu-
tem, in diuersum uertatur? Quàm fœda lingua sa-
cerdotum, adhortantium ad bellum, incitantium ad
mala, prouocantium ad perniciem? Apud Romanos
adhuc impiè pios, qui pontificatum maximum ini-
ret, ex more confirmabat iureiurando, se manus ab
omni sanguine puras seruaturum, adeò ut ne læsus
quidem ulcisceretur. At quàm huius sacramenti fi-
dem constanter præstitit Titus Vespasianus, impe-
rator Ethnicus, idq; laudi datur à scriptore Ethni-
co. At ô prorsus sublatam è rebus humanis frõtem.
apud Christianos Deo dicati sacerdotes, & qui his
quoq; sanctius aliquid præ ferunt monachi, ad cæ-
des, ad strages inflamman: & euangelij tubã, Mar-
tis tubam faciunt, obliti dignitatis suæ, sursum ac
deorsum cursitant, nihil non tum faciunt, tum pati-
untur, dum bellum excitent: & per hos principes
alioqui fortassis quieturi, ad pugnam inflamman-
tur, quorum autoritate tumultuantes sedari con-
ueniebat. Imò, quod est prodigiosius, belligerantur
ipsi, idq; earum rerum gratia, quas & apud impios
contempserè philosophi, quarum que contemptus
proprius ac peculiaris est uiris Apostolicis. Ante

paucos

paucos annos, cum fatali quodam morbo mundus ad arma raperetur, Evangelici præcones, hoc est, Minores, ac Prædicatores è suggestu sacro classicum canebant, & ultrò ad furiam propensos, magis accèdebant. Apud Britannos animabant in Gallos: apud Gallos animabant in Britannos. Omnes ad bellum instigabant. Ad pacem nemo prouocabat, præter unum aut alterum, quibus penè capitale fuit ut me uel nominasse. Cur sitabant ultro citroq; sacrosancti præsules, & dignitatis & professionis suæ obliti, publicum orbis morbum opera sua exacerbantes, tum hinc Iulium pontificem Romanum, hinc régés ad maturandum bellum instigantes, perinde quasi non satis ipsi sua sponte insanirent: & tamen hanc manifestariam insaniam magnificis titulis præteximus. Huc patrum lèges, huc piorum hominum scripta, huc arcana scripturæ uerba impudentissimè detorquemus, ne dicam impiè. Imò iam eò propè redijt res, ut stultum & impium sit aduersus bellum hiscere, & id laudare, quod solù ore Christi laudatum est. Parùm consulere populo, parùm fauere principi uidetur, qui sua serit rem omnium saluberrimam, & ab omnium pestilentissima dehortetur. Iam ipsa castra sequuntur sacrifici, præ sunt in castris Episcopi, & relictis ecclesijs suis,

Q U E R I M O N I A

*Bellone rem agunt. Imò gignit iam bellum sacerdo-
 tes, gignit Episcopos, gignit Cardinales, quibus
 Campi legatus honorificis titulis & Apostolorum
 successoribus dignus habetur. Quò minus mirum si
 Martem spirant, quos Mars genuit. Et quò malum
 sit insanabilius, tantam impietatem pietatis specie
 pretextunt. Vexilla crucem habent. Miles impius,
 & nummis aliquot ad lanienam, ac cædem conda-
 ctus, crucis insigne præfert, & belli symbolum est,
 quod solum dedocere bellum poterat. Quid tibi
 cum cruce scelerate miles? istis animis, istis factis
 dracones, tigrides ac lupi conueniebant. Istud sig-
 num eius est, qui non pugnando, sed moriendo ui-
 cit, qui seruauit, non perdidit, quodq; cum primis
 admonere te poterat, cum quibus hostibus tibi res
 sit, si modò Christianus es, & qua ratione uincen-
 dum sit. Tu salutis insigne gestas, ad fratris pernici-
 em properans, & cruce perdis, qui cruce seruatus
 est? Quid, quò ab arcanis illis & adorandis sa-
 cris (nam hæc quoq; pertrahuntur in castra) in
 quibus in primis summa Christianorum concordia
 representatur, curritur in aciem, dirum ferrum in
 fratris uiscera stringitur, & facinoris omnium sce-
 leratissimi, quo non aliud esse potest impijs spiriti-
 bus gratius, Christum faciunt spectatorem, si ta-
 men*

men illic dignatur adesse Christus? Deniq; quod est
 omnium absurdissimum, in utrisq; castris, in utraq;
 acie, crucis signum relucet, in utrisq; sacra. Quid
 hoc monstri est? pugnat crux in cruce, Christus ad
 uersus Christum belligeratur. Hoc signum Christia
 ni nominis hostes terrere solet. Cur nunc oppugnat
 quod adorant homines non una digni cruce, sed ue
 ra. Quæso, quid in hisce sacris orat miles, PATER
 NOSTER? Os durum, audes eum appellare pa
 trem, qui fratris tui iugulum petis? SANCTIFI
 CETVR NOMEN TVVM. Quî magis dehone
 stari poterat nomen Dei, quàm istiusmodi inter uos
 tumultibus? ADVENIAT REGNVM TVVM,
 Sic oras, qui tanto sanguine tyrannidem tuam mo
 liris? FIAT VOLVNTAS TVA, QVEMAD
 MODVM IN COELO ITA ET IN TERRA.
 Pacem uult ille, & tu bellũ paras. Panem quotidia
 num à communi patre petis, qui fraternas exuris
 segetes, & tibi quoq; mauis perire, quàm illi pro
 desse? Iam quo'nam ore dices illud, ET DIMIT
 TE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICVT ET
 NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NO
 STRIS, qui ad parricidium festinas? Deprecaris
 periculum tentationis: quid tuo periculo, fratrem
 in periculum pertrahis? A malo liberari postulas:

Q U E R I M O N I A

cuius instinctu summum malum fratri machinaris? Plato negat appellandum bellum, quod Græci moueant aduersus Græcos. Seditio est, inquit. Et istis sanctum etiam bellum est, quod ob quaslibet causas tali milite, talibus armis, cum Christiano gerit Christianus? Ethnicorum lēges, culleo insutum in profluentem abijciunt, qui ferrum fraterno sanguine imbuerit. An minus fratres sunt, quos Christus copulauit, quàm quos sanguinis propinquitas? Et tamen hic præmium est paricidio. O miseram bellantium sortem. Qui uincit, paricida est: qui uincitur, perit, nihilo secius paricidio obnoxius, quòd paricidium conatus est. Et post hæc execrantur Turcas uelut impios & à Christo alienos: quasi uerò cū hæc agunt, ipsi Christiani sint: aut quasi Turcis ullum spectaculum exhiberi possit iucundius, quàm si conspiciant illos mutuis telis sese confodientes. Immolant Turcæ demonibus, at quū his nulle uictima sit acceptior, quàm si Christianus mactet Christianū: quæso, quid aliud facis quàm illi? Tum enim gemina fruuntur hostia spiritus impij, cū pariter & qui mactat, & qui mactatur, fit uictima. Si quis Turcis fauet, si quis amicus est demonibus, hostias huiusmodi frequenter offerat. Sed audio iam dudum, quid excusent homines, in suum ipso-

rum malum ingeniosi. Cogi se queruntur, & inuitos ad bellum pertrahi. Detrahe personam istam, abijce fucos, tuum ipsius pectus consule, reperies iram, ambitionem, stulticiam huc pertraxisse, non necessitatem: nisi fortè hac sine necessitatem metiris, si non per omnia satisfiat animo. Ad Populum phaleras, Deus fucis non deluditur. Atq; interea solennes aguntur supplicationes: magnis clamoribus petitur pax: uociferantur immani boatu, ut PACEM NOBIS DONES, TE ROGAMVS, AVDI NOS. Non ne iure optimo Deus istis responderit, Quid me ridetis? Rogatis ut depellam, quod ipsi uos accersitis uolentes. Deprecamini, cuius ipsi uos estis authores. Si qualibet offensa bellum parit, cui tandem non est quod queratur? Inter uxorem & maritum incidunt, ad quæ sit conuiuendum, ni si malis dirimi beneuolentiam. Quod si quid eiusmodi sit ortum inter principes, quid opus erat mox ad arma rapi? Sunt læges, sunt homines eruditi, sunt uenerandi Abbates, sunt reuerendi Episcopi, quorum salubri consilio tumultus rerum componi poterat. Cur non hos potiùs arbitros faciunt, quos haud possint tam iniquos nancisci, quin minore malo discessuri sint, q̄ si armis experiantur? Vix ulla tam iniqua pax, quin bello uel æquissimo sit potior.

Q U E R I M O N I A

Prius expende singula, quæ bellum uel postulat uel adducit, & quantum lucrifeceris, intelliges. Summa Romani pontificis authoritas. Ast cum gentes cum Principes impijs bellis tumultuantur, idq; annos aliquot, ubi tum pontificum authoritas, ubi potestas Christo proxima? Hic certè erat expromenda, nisi ipsi similibus tenerentur cupiditatibus. Vocat Pontifex ad bellum, paretur. Vocat idem ad pacem, cur nõ obtemperatur itidem? Si pacem malunt, cur Iulio bellandi authori tam alacriter obeditum est? Leoni ad pacem & concordiam prouocanti, uix quisquam obtemperat. Si uerò sacrosancta est Romani pontificis authoritas, certè maxime ualere par est, quoties ad id prouocat, quod unice docuit Christus. Cæterum quos Iulius ad bellum exitiale potuit excitare, cum Leo sanctissimus pontifex non idem possit, tot modis ad Christianam concordiam prouocans, declarant sese Ecclesiæ prætextu, suis seruisse cupiditatibus, ne quid dicam acerbius. Si ex animo tædet bellorum, dabo consilium, quo concordiam tueri possitis. Solida pax haud constat adfinitatibus, haud foederibus hominum, ex quibus frequenter exoriri bella uideamus. Repurgandi fontes ipsi, unde malum hoc scattet. Præuæ cupiditates tumultus istos pariunt. Et
dum

dum quisq; suis inseruit adfectibus: interim adfligitur respublica, nec tamen adsequitur hoc ipsum quisq;, quod malis rationibus adfectat. Sapiant principes, & populo sapiant non sibi: ac uerè sapiant, ut maiestatem suam, ut foelicitatem, ut opes, ut splendorem his rebus metiantur, quæ uerè magnos & excellentes faciunt. Sint eo animo erga rempublicam, quo pater erga familiam. Ita se magnum existimet rex, si quàm optimis imperet. Ita foelicem, si suos foelices reddiderit. Ita sublimem, si quàm maximè liberis imperet. Ita opulentum, si populum habeat opulentum. Ita florentem, si ciuitates perpetua pace florentes habeat. Atq; hunc principis animum imitentur proceres, ac magistratus: omnia rei publicæ commodis metiantur, & hac uia rectius suis consuluerint commodis. Rex qui hoc sit animo, num his facilè commouebitur, ut pecuniam à suis extorquet, quam Barbaro militi numeret? Suos ad famem adiget, ut impios aliquot duces ditet? Num is suorum uitã, tot periculis obijciat? Non opinor. Hactenus exerceat imperium, ut meminerit se hominem imperare hominibus, liberum liberis: postremò Christianum Christianis, huic uicissim tantum deferat populus, quatenus ad publicam utilitatem conducit. Non aliud exiget bonus princeps.

Q V E R I M O N I A

Mali uerò cupiditates retundet ciuium consensus.
 Absit utrinq; priuati commodi ratio. Plurimum ho-
 noris habeatur ijs, qui bellum excluderint, qui con-
 cordiam resituerint ingenio consilio ue suo: deni-
 que qui hoc modis omnibus moliantur, non ut maxi-
 mam militum ac machinarum uim comparet, sed
 ut ijs non sit opus. Quod pulcherrimum facimus,
 tot Imperatorum unus Diocletianus animo con-
 cepisse legitur. Quòd si bellum uitari non potest,
 ita geratur, ut summa malorum in eorum capita re-
 cidat, qui belli dedere causas. Nunc principes tuti
 belligerantur, ductores hinc crescunt, maxima ma-
 lorum pars in agricolas ac plebem effunditur, ad
 quos nec attinet bellum, nec ipsi belli causam ullam
 dederunt. Vbi principis sapientia, si hæc non per-
 pendit? ubi principis animus, si hæc leuiter ducit?
 Inuenienda ratio, qua fiat ne toties mutantur, ac
 uelut obambulent imperia, QVOD OMNIS RE-
 RVM NOVATIO TVMVLTVM GIGNAT,
 TVMVLTVS BELLVM. Id facile fiat, si regum
 liberi intrà ditionis fines elocentur: aut si quem li-
 beat finitimis adiungere, spes omnibus successionis
 præcisa esto. Nec fas sit principi ditionis portio-
 nem ullam uendere aut alienare, perinde quasi
 priuata sint prædia, liberæ ciuitates. Nam liberæ
sunt

Sunt quibus rex imperat : seruiunt quos tyrannus premit . Nunc huiusmodi matrimoniorum uicibus fit , ut apud Hybernos natus , repente imperet Indis : aut qui modò Syris imperabat , subito rex Britannia . Fitq; ut neutra regio principem habeat , dum priorem relinquit , & à posteriore non agnoscitur , nimirum ignotus , aliò que mundo natus . Atque interim dum illud parit , dum euincit , dum stabilit , alterum exhaurit proteritque , nonnunquam amittit utrunque , dum utrunque complecti studet , uix alteri administrando idoneus . Semel inter principes conueniat , quid quisque debeat administrare , ac ditionis fines semel datos , nulla proferat aut contrahat adfinitas , nulla conuallent foedera : ita suam quisque portionem enitetur quàm potest ornatissimam reddere , dum in unam omne studium intendet : hanc conabitur rebus optimis locupletatam , suis liberis relinquere . Atque hoc sanè pacto futurum est , ut ubique floreat omnia . Cæterùm inter sese , non adfinitatibus , aut facticijs sodalitatibus , sed sincera puraque amicitia copulentur , maxime que simili communi que studio bene merendi re de bus humanis . Principi uerò succedat , uel qui genere proximus , uel qui populi suffragijs

Q V E R I M O N I A

maximè iudicabitur idoneus. Cæteris sat sit, inter honestos haberi proceres. Regium est, nescire priuatos adfectus, & omnia publicis commodis æstimare. Adhæc longinquas peregrinationes uitet princeps: imò pomoeria regni nunquam transire uelit, memineritq; dicti longo seculorum consensu probati: Frons occipitio prior est. Locupletatum se existimet, non si quid alijs ademerit, sed si sua reddiderit meliora. Cùm de bello agitur, ne adhibeat in consilium iuuenes, quibus ideo bellum placet, quòd experti non sunt, quantum habeat malorum: ne ue eos, quibus expedit turbari publicam tranquillitatem, quiq; populi calamitatibus aluntur, ac saginantur. Senes cordatos & integros accersat, & quorum pietas patriæ spectata sit. Nec temerè ad unius aut alterius libidinem bellum moueatur, quod semel cœptū, haud faciliè finitur. Res omniū periculosissima, nō nisi totius populi cōsensu suscipiatur. Belli causæ statim prædicendæ sunt. Ad quædam conuiuendum, comitas comitatem inuitabit. Nonnunquam emenda pax. Ea si ratione subduxeris, quid bellum fuerit exhausturum, & quot ciues ab exitio serues, paruo emptæ uidebitur, etiamsi magno emeris. Quando præter ciuium tuorum sanguinem plus erat bello impendendum. Incas rationem

quans

P A C I S.

quantum malorum uitaris, quantum bonorum tue-
 aris, & impendij non pœnitebit. Fungantur inte-
 rim suo officio præsules. Sacerdotes uerè sint sacer-
 dotes. Monachi professionis suæ meminerint. The-
 ologi quod Christo dignum est, doceant. Conspi-
 rent omnes aduersus bellum, in hoc latrent omnes.
 Pacē publicè priuatimq; prædicent, efferant, incul-
 cent. Tū si minùs possint efficere, ne ferro decerna-
 tur, certè ne probent, ne intersint, ne rei uel tã sce-
 leratæ, uel certè tam suspectæ, ipsis authoribus ho-
 nos habeatur. Satis sit in bello cæsis, in prophano
 sepulchrū dari. Si qui boni sunt in hoc genere, qui
 certè paucissimi sunt, non ob hæc fraudabuntur suo
 præmio. Cæterum impij, quæ maxima turba est,
 minùs sibi placebūt, honore detracto. De his bellis
 loquor, quæ uulgò Christiani cū Christianis commit-
 tunt. Nec enim idem sentio de his, q̄ simplici pioq;
 studio uim incurfantium Barbarorū depellunt, &
 suo periculo publicā tranquillitatē tuentur. Nunc
 trophæa sanguine tincta eorum, pro quorū salute
 Christus suum fudit sanguinem, reponuntur in
 templo, inter Apostolorum, ac martyrum statuas,
 quasi post hæc pium sit futurum, non fieri marty-
 res, sed facere. Abundè magnum erat hæc in foro,
 aut armario quopiam reposita seruari, in sacras
 ædes

Q V E R I M O N I A

edes, quas purissimas esse decet, nihil recipi conuenit, quod sanguine sit inquinatum. Sacerdotes Deo sacri. nusquam adsint nisi ad dirimenda bella. In hæc si consentiam, si eadem ubiq; inculcent, plurimū habitura momēti est. Quòd si hic fatalis est humani ingenij morbus, ut prorsus absq; bellis durare nequeat: quin potius malum hoc in Turcas effunditur, tametsi præstabat & hos doctrina, benefactis, uitæq; innocentia, ad Christi religionem allicere, quàm armis adoriri? Attamen si bellum, ut diximus, omnino uitari non potest: illud certè leuius sit malum, quàm sic impiè Christianos inter se committi, collidiq;. Si mutua charitas illos non adglutinat, certè coniunget utcunq; communis hostis, & qualiscunq; syncretismus erit, ut absit uera concordia.

Postremò, magna pars pacis est, ex animo uelle pacem. Quibus enim pax uerè cordi est, hi omnes pacis occasiones arripiunt, quæ obstant, aut negligunt, aut amoliuntur, permulta ferunt, dum tantum bonum sit incolume.] Nunc ipsi bellorum seminaria quærun: quod ad concordiam facit, eleuant, aut dissimulant etiam, quod ad bellum tendit, ultro exaggerant, exulcerantq;. Pudet referre, ex cuius modi nugis, quantas excitent tragædias, & ex quàm minuta scintilla, quæ rerum tempestates exoriantur.

P A C I S.

riantur. Tunc illud iniuriarum agmen uenit in mentem, & suum quisq; malum sibi exaggerat. At benefactorum interim profunda obliuio, ut iures adfectari bellum. Et sæpè principum priuatum quidam est, quod orbem ad arma compellit. At plùs quàm publicum esse debet, ob quod bellum suscipiatur. Quia ubi nihil subest causæ, ipsi dissidiorum causas sibi fingunt, regionũ uocabulis ac odiorum alimoniam abutentes, & hunc stultæ plebis errorem alunt magnates, & in suum abutuntur compendium, alunt sacerdotes quidam. Anglus hostis est Gallo, nec ob aliud nisi quòd Gallus est. Scoto Britannus infensus est, nec ob aliam rem nisi quòd Scotus est, Germanus cū Franco dissidet, Hispanus cum utroq;. O prauitatem. Disiungit inane loci uocabulum: cur non potiùs tot res cõciliant? Malè uis Britannus Gallo: cur nõ potiùs bene uis homo hominẽ Christianus Christiano? Cur res friuola plus apud istos potest, quã naturæ nexus? tot Christi uincula? Locus corpora dirimit, nõ animos. Separabat olim Rhenus Gallum à Germano, at Rhenus non separat Christianũ à Christiano. Pyrenei mōtes Hispanos ab Italis sciungunt, at ijdẽ non dirimunt ecclesiæ communionem. Mare dirimit Anglos à Gallis, at non dirimit religionis societatem. Paulus Apostolus
indigna

Q V E R I M O N I A

indignatur audire inter Christianos has uoces, Ego sum Apollo, ego sum Cephæ, ego sum Pauli, nec impia cognomina sinit secari, Christum omnia conciliantem, & nos commune patriæ uocabulum grauem causam iudicamus, cur gens in gentis inter necionem tendat? Ne id quidem satis nonnullorum animis bellorum auidis, prauè dataq; opera disfidiorum ansas quæerunt, ipsam diuidunt Galliam, & eã uocabulis distrahunt, quæ nec maria, nec montes, nec uera regionum nomina distrahant. E Gallis Germanos faciunt, ne uel nominis consortio coalescat amicitia. Si in actionibus odiosis, uelut diuortij nec litem facile recipit iudex, nec quamlibet admittit probationem: cur isti in re omniũ odiosissima quamlibet friuolam causam admittunt? Quin potius id, quod res est, cogitant, mundum hunc esse communem patriam omnium, si patriæ titulus conciliat: ab eisdem maioribus ortos omnes, si facit amicitias sanguinis adfinitas, ecclesiam unam esse familiam, ex æquo communem omnibus, si domus eadem copulat necessitudines. In hanc partem ingeniosos esse par est. Toleras quædam in socero, non ob aliud nisi quòd socer est, & nihil toleras in eo, qui religionis consortio frater est? Multa condonas generis propinquitati, & nihil condonas adfinitati reli

gionis? Certè nullum uinculum arctius alligat
quàm Christi sodalitas. Cur id solum ob oculos ob-
uerfatur, quod animum exulcerat? Si paci fauces, sic
cogita potius, in hoc læsit, sed sepè aliàs profuit,
aut alieno impulsu læsit. Postremò quemadmodum
apud Homerum disidij causas, quod inter Agame-
mnonem & Achillem intercesserat, in Aten deam
reijciunt, qui uocant ad concordiam: ita quæ excu-
sari non possunt, aliquando fatis imputentur, aut
malo cuiquam si libet Genio, & in hæc odium ab
ipsis hominibus transferatur. Cur magis ad per-
niciem suam sapiunt, quàm ad tuendam felicitate-
tem? Cur ad malum, quàm ad bonum sunt oculatio-
res? Qui paulò cordatiores sunt, expendunt, consi-
derant, circūspiciunt prius, quàm priuatū quoque
gocium adgrediantur. Et clausis oculis præcipientes
in bellum ipsi sese conijciunt, præsertim cum semel
admissum, excludi non possit, quin è pusillo sit ma-
ximum, ex uno plura, ex incruento cruentum: ma-
ximè cum hæc procella non unum aut alterum ad-
fligat, sed uniuersos pariter inuoluat. Quòd si uul-
gus hæc parùm expendit: certè principis & opti-
matum partes sunt, hæc secum reputare. Sacerdo-
tum est, ista rationibus omnibus infulcire, uolenti-
bus ac nolentibus ingerere. Herebunt tandem si

Q V E R I M O N I A

nusquam non audiantur. Ad bellum gestis? primum
 inspicere cuiusmodi res sit pax, cuiusmodi bellum:
 quid illa bonorum, quid hoc malorum secum uehat,
 atque ita rationem in eas, an expediat pacem bello
 permutare? Si res quaedam admirabilis est, regnum
 undique rebus optimis florens, bene conditis urbibus,
 bene cultis agris, optimis legibus, honestissimis di-
 sciplinis, sanctissimis moribus, cogita tecum, haec
 foelicitas mihi perturbanda est, si bello. Contra si
 quando conspexisti ruinas urbium, dirutos uicos,
 exusta fana, desolatos agros, et id spectaculum mi-
 serandum ut est, uisum est, cogita hunc esse belli fru-
 ctum. Si graue iudicas sceleratam conducticiorum
 militum colluuiem in tuam regionem inducere, hos
 ciuium tuorum malo alere, his inferuire, his blan-
 diri, imò horum arbitrio te ipsum, ac tuam incolumi-
 tatem committere, fac cogites hanc esse belli con-
 ditionem: si abominaris latrocinia, haec docet bel-
 lum: si execraris paricidium, hoc in bello discitur.
 Nam qui uereatur unum occidere commotus, qui leui
 autoramento conductus tot homines iugulat? Si
 praesentissima reip. pestis est legum neglectus: si-
 lene leges inter arma. Si foedum existimas stuprum,
 incestum, et his turpiora, horum omnium bellum ma-
 gister est. Si fons omnium malorum est impietas,

& religionis neglectus, hæc belli procellis prorsus
 obruitur. Si iudicas pessimū esse reipublicæ statum,
 cū plurimū possunt, qui pessimi sunt: in bello re-
 gnant sceleratissimi: & quos in pace suffigas in
 crucem, horum in bellis primaria est opera. Quis
 enim melius per devia ducet copias, quā latro ex
 ercitatus? Quis fortiū diripiet ædes, aut spoliabit
 templa, quā parietum perfossor, aut sacrilegus?
 Quis animosius feriet hostem, & hauriet ferro ui-
 talia, quā gladiator, aut paricida? Quis æquē
 idoneus ad iniiciendum ignem urbibus, aut machi-
 nis, quā incendiarius? Quis æquē contemnet flu-
 elus, marisq; discrimina, ac pirata diutinis præda-
 tionibus exercitus? Vis palam cernere, quā res sit
 impia bellum: animaduerte per quos geritur. Si pio
 principi nihil antiquius esse debet, quā suorum in-
 columitas: huic bellum imprimis inuisum sit, oportet.
 Si principis foelicitas est imperare filiabus:
 pacem potissimum amplecti debet. Si præcipuē o-
 ptandum bono principi, ut imperet quā optimis:
 bellum detestetur oportet, unde scatet omnis impie-
 tatis sentina. Si suas opes esse putet quidquid ci-
 ues possident: bellum omnibus rationibus uitet:
 quod ut foelicissimè cadat, certè facultates omni-
 um atterit: & quod honestis artibus partum est,

Q V E R I M O N I A

*in immanes quosdam carnifices erogandum. Iam illud etiam atq; etiam perpendant, suam cuiq; blandiri causam, & suam cuiq; spem arridere, cum illa saepenumero pessima sit, quæ commoto uideatur æquissima, & hæc non raro fallit. Sed finge causam iustissimã, finge exitum belli prosperrimum, rationem fac in eas, omnium incommodorum, quibus gestum est bellum, & commoditatum, quas peperit uictoria, & uide num tanti fuerit uincere. Vix unquam uictoria contingit incruenta. Iam habes tuos humano sanguine pollutos. Ad hæc supputa morum, publicæq; disciplinæ iacturam, nullo compendio sarcendam. Exhaustis tuum fiscum, expilas populum, oneras bonos, ad facinus excitas improbos. neq; uerò confecto bello, protinus & belli reliquiæ sopitæ sunt. Obsolescunt artes, intercluduntur negociatorum commercia. Ut hostem includas, prius temetipsum à tot regionibus cogere excludere. Ante bellum omnes finitimæ regiones tuæ erant, pax enim rerum commercijs facit omnia communia. Vide quantam rem egeris: nunc uix tua est, quæ maxime tua est ditio. Ut oppidulum excindas, quot machinis, quot tentorijs opus est? Imitaticiam urbem facias oportet, ut ueram euertas: at minoris aliud uerum oppidum extrui poterat. Ne liceat hosti pro
dire*

dire ex oppido, tu exul à patria, sub dio dormis.
 Minoris constaturum erat, ædificare noua mœnia,
 quàm ædificata machinis demonis demoliri. Vt ne
 computem hîc, quot pecuniarum effluit inter exi-
 gentium, recipientium, ac ducum digitos, quæ sanè
 pars est non minima. Quòd si horum singula ad ue-
 rum calculum reuoces, ni compereris decima im-
 pendiorum parte pacem redimi potuisse, patiar æ-
 quo animo, me profligari undiq;. Sed parùm excelsi
 animi tibi uideare, si quid remittas iniuriarum: imò
 nullum est certius argumentum humilis animi, mi-
 nimeq; regij, q̃ ulcisci. Maieitati tuæ nõnihil decede-
 re putas, si cū finitimo principe agens, & fortasse
 cognato, aut adfini, fortassis aliàs bene de te merito,
 de tuo iure decedas aliquantulū. At quanto humi-
 liùs deijcis maiestatem tuam, dum barbaris cohorti-
 bus, & infimæ sceleratorū feci, nūquam explende
 auro subinde litare cogeris, dū ad Cares uilissimos si-
 mul ac nocētissimos! blandus ac supplex mittis lega-
 tos, dum tuum ipsius caput, dum tuorū fortunas, illo-
 rum credis fidei, quibus nihil est neq; pensi neq; san-
 cti? Quòd si quid iniquitatis uidebitur habere pax,
 caue sic cogites, hoc perdo, sed, tanti pacem emo.
 At dixerit argutior aliquis, facile donarim, si res
 ad me priuatim pertineat. Princeps sum, negotium

Q U E R I M O N I A

publicum, uelim nolim, ago. Non facile bellum suscipiet, qui nihil nisi publicum spectat. At qui contra uidemus, omnes belli causas ex his rebus nasci, quæ nihil ad populum pertineant. Vis hanc aut illam ditionis partem uindicare? Quid istud ad populi negocium? Vis ulcisci, qui filia renunciauit, quid hoc ad Rempublicam? Hæc expendere, hæc perspicere, uerè sapientis, uerèq; magni est principis. Quis unquam aut latius imperauit, aut splendidius Octauio Augusto? At ille cupiebat etiã deponere imperium; si quem uidisset Reipublicæ magis salutarem principem. Merito laudata est ab egregijs authoribus uox illa cuiusdam Imperatoris, Peueant inquit, filij mei, si quis alius melius sit Reipublicæ consulturus. Hos animos Reipublicæ præstiterunt homines impij: quod ad Christi religionem attinet, & Christiani principes usq; adeo uilem ducunt populum Christianum, ut grauissimo orbis incendio priuatas suas cupiditates, uel ulcisci uelint, uel explere? Iam audio quosdam ita tergiuersantes, ut negent se tutos esse posse, nisi uim improborum acriter propellant. Cur igitur inter innumeros Imperatores Romanos soli Antonini, Pius & Philosophus, petiti non sunt? nisi quòd nemo tutius regnat, quã qui paratus est & deponere, utpote quod

Rei-

Reipublicæ gerat, non sibi. Quòd si nihil uos mouet, neque naturæ sensus, neque pietatis respectus, neque tanta calamitas, certè Christiani nominis probrum, animos uestros in concordiam redigat. Quota mundi portio tenetur à Christianis? Atque hæc tamè est illa ciuitas in edito monte sita spe et aculum facta Deo & hominibus. At quid sentire putandum est, quid loqui, quæ probra in Christum euomere Christiani nominis hostes, ubi uident Christianos sic inter sese concertare, leuioribus de causis, quàm Ethnicis, crudeliùs quàm impij, machinis tetrerioribus quàm ipsi? Quorum inuentum est bombardæ? Non ne Christianorum? Et quò res sit indignior, his induntur Apostolorum nomina, insculpuntur imagines. O crudelis irrisio. Paulus ille pacis hortator perpetuus, tartaream machinã torquet in Christianum? Si cupimus Turcas ad Christi religionem adducere, priùs ipsi simus Christiani. Nunquàm hoc illi credent, si quod est, perspiciant nusquam magis scire, quàm apud Christianos id, quod Christus unum omnium maxime detestatus est. Et quod Homericus Ethnicus demiratur in Ethnicis, cum suauium etiam rerum satietas sit, somni, cibi, potus, choreæ, musices: bellum infelicitis nullam esse satietatẽ, id apud eos uerissimũ est quibus

Q V E R I M O N I A

ipsum etiam belli uocabulum abominandum esse oportuit. Roma furiosa quondam illa bellatrix, ta-
 men Iani sui templum aliquoties uidit clausum. Et
 qui conuenit, apud uos nullas esse bellandi ferias?
 Quo' nam ore predicabitis eis Christum pacis au-
 thorem, ipsi perpetuis dissidijs inter uos tumul-
 tuantes? Iam quos putatis animos addit Turcis
 uestra discordia? Nihil enim facilius, quam uincere
 dissidentes. Vultis illis esse formidabiles? Concordes
 estote. Cur ultrô uobis & presens uitæ iucundita-
 tem inuidetis, & à futura felicitate uultis excide-
 re? Multis malis per se obnoxia est uita mortaliū,
 magnam molestiæ partem adimet concordia, dum
 mutuis officijs alius alium aut consolatur, aut iu-
 uat. Si quid boni obtinget, id tum suauius, tum com-
 munius reddet concordia, dum amicus impartit
 amico, & beneuolus beneuolo gratulatur. Quàm
 friuola sunt, quamq; mox peritura, pro quibus in-
 ter uos tumultus est: mors omnibus imminet, non
 minus regibus, quam plebeis. Quos tumultus ciet
 animalculum, mox fumi in morem euaniturum? In
 foribus adest æternitas. Quorsum attinet, pro re-
 bus istis umbraticis perinde moliri, quasi uita hæc
 esset immortalis? O miseros, qui scelicem illam pio-
 rum uitam non credunt, aut non sperant: impuden-
 tes,

tes, qui sibi pollicentur è bellis ad eam iter esse, cum illa nihil sit aliud quàm ineffabilis quædam fœlicium animorum communio, cùm iam ad plenum continget, quod Christus tam enixè rogauerat patrem cœlestem, ut sic inter se iungerentur illi, quem admodum ipse patri iunctus esset. Ad hanc summam concordiam quâ possitis esse idonei, nisi eam interim pro uirili meditemini? Vt non subito ex spurco belluone fit Angelus: ita non subito ex bellatore sanguinario, martyrum ac diuorum socius. Eia satis iam, superq; fusum est Christiani, si parum est humani, sanguinis, satis in mutua debacchatum exitia, satis hæctenus Furijs, Orcoq; litatum, satis diu quæ Turcarum pascant oculos, acta est fabula. Saltem aliquando post nimium diu toleratas bellorum miseras respiscite. Quidquid hæctenus insanitum est, satis imputetur, placeat Christianis, quæ quondam prophanis placuit, superiorum malorum obliuio, posthac communibus consilijs in pacis studium incumbite: & sic incumbite, ut non stuppeis, sed solidis atq; adamantinis uinculis coëat, nunquam dirimenda. Vos appello principes, de quorum nutu potissimum pendet res mortalium, qui Christi principis imaginem inter mortales geritis, agnoscite regis uestri uocem, ad pacem reuocamini.

Q V E R I M O N I A

Existimate, totum orbem diutinis fessum malis,
 hoc à uobis flagitare. Si quid cui dolet etiam, æ-
 quum est hoc publicæ omnium fœlicitati donare.
 Maius est negocium, quàm ut leuibus causis de-
 beat retardari. Appello uos sacerdotes Deo sacri,
 hoc studijs omnibus exprimate, quod Deo gratissi-
 mum esse scitis: hoc depellite, quod illi maximè inui-
 sum. Appello uos Theologi, pacis euangelium præ-
 dicare, hanc semper popularibus auribus occini-
 te. Appello uos Episcopi, alijq; dignitate ecclesiasti-
 ca præeinentes, ad pacem æternis uinculis adstrin-
 gendam uestra ualeat authoritas. Appello uos pri-
 mates, & magistratus, ut sapientiæ Regum, ut pie-
 tati Pontificum uestra uoluntas sit adiutrix. Vos
 appello promiscuè, quicumque Christiano nomine
 censemini, consentientibus animis in hoc conspira-
 te: hîc ostendite quantum ualeat aduersus poten-
 tum tyrannidem multitudinis concordia: huc pa-
 riter omnes omnia sua conferant. Iungat æterna
 concordia, quos tam multis rebus coniunxit natu-
 ra, pluribus Christus. Communibus studijs agant
 omnes, quod ad omnium ex æquo fœlicitatem perti-
 net. Huc inuitant omnia, primùm ipse nature sen-
 sus, atq; ipsa, ut ita dicã, humanitas: deinde totius
 humane fœlicitatis princeps & author Christus.

Ad


Ad hæc tam multa pacis commoda, tot belli calamitates. Vocant huc ipsi principum animi, iam uelut adflante Deo, ad concordiam propensi. En pacificus ille, placidusq; Leo, signum omnibus extulit, ad pacem inuitans, uereq; Christi uicarium agens. Si uerè oues estis, sequimini pastorem. Si filij, audite patrè. Vocat huc ille nō titulo tantum Christianissimus Galliarū rex Franciscus, qui pacem nec emere grauatur, nec usquā suæ maiestatis habet rationē, modò publicæ paci cōsulat: hoc deniq; uerè splendidum ac regiū esse docens, de genere humano quàm optimè mereri. Vocat huc clarissimus princeps Carolus incorruptæ indolis adolescens. Nec abhorret Cæsar Maximilianus: nec detrectat inclytus Angliæ rex Henricus. Tantorum principum exemplum, cæteros libenter imitari par est. Maxima plebis pars bellum detestatur, pacem orat. Pauculi quidam modò, quorum impia fœlicitas, à publica pendet infœlicitate, bellum optant. Quorum improbitas ut plus ualeat, quàm bonorum omnium uoluntas, æquum sit, nec ne, uos ipsi expendite. Videtis hætenus nihil actum fœderibus, nihil promotum ad finitibus, nihil ui, nihil ulciscendo. Nunc contrà periculum facite, quid possit placabilitas, quid beneficentia: Bellum è bello seritur


Q U E R I M O N I A


L
*seritur, ultio trahit ultionem. Nunc gratia gratiam
 pariat, & beneficium beneficio inuitetur, isq; rega-
 lior uideatur, qui plus de suo iure concesserit.*


*Non successit quod humanis studijs gestum est: at
 fortunabit ipse Christus pia Concilia, quæ se autho-
 re & auspice uiderit suscipi. Aderit dexter, aspira-
 bit, fauebitq; fauentibus ei rei, cui fauit ipse pluri-
 mum, priuatos adfectus publica uincat utilitas.
 Quamquam dum huic consulitur, & sua cuiq; for-
 tuna melior reddetur, principibus regnum erit au-
 gustius, si pijs ac foelicibus imperent, ut legibus reg-
 nent magis quàm armis, proceribus maior uerior-
 que dignitas, sacerdotibus ocium tranquillius, po-
 pulo quies uberior, & ubertas quietior: Nomen
 Christianum formidabilius crucis hostibus. Deniq;
 singuli singulis, & omnes omnibus chari si-
 mul & iucundi eritis, super omnia
 Christo grati, cui placuisse
 summa foelicitas est.*


D I X I .
















732853

752853

